INDICES
LECTIONUM

ET

PUBLICARUM ET PRIVATARUM

QUAE IN

ACADEMIA MARBURGENSI

PER

SEMESTRE AESTIVUM

INDE A D. XVI. M. APRILIS USQUE AD D. XV. M. AUGUSTI
MDCCCLXXVII

HABENDAE PROPONUNTUR.

De mythologiae comparativae quae vocatur rationibus observationes nonnullas
praemisit *Iulius Caesar.*

MARBURGI.
TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIDERICI.

ACADEMIAE MARBURGENSIS

RECTOR CUM SENATU

COMMILITONIBUS DILECTISSIMIS

S. P. D.

Prooemiorum indicibus lectionum praemittendorum cum olim fere ea lex fuerit, ut paraenetico quem dicunt more praecepta quaedam generalia de studiorum ratione recte instituenda continerent, recentiore vero aetate singula potius doctrinae adhibendae exempla proponi soleant, si quidem omnino iuventutis erudiendae magis quam virorum eruditorum ratio habetur, haud incommode media quadam via aliquando incedemus, varia singularum disciplinarum tractandarum genera fructusque inde percipiendos summatim demonstrantes. E quibus hac occasione data mythologiam eligere placet, quam qui recte persequi et ad veram normam in eius natura positam redigere velint, eos non magis debere intra singularum gentium fines conspectumque oculos continere quam qui linguarum formas ad artem et praecepta revocare studeant, nunc plerique consentiunt, quamvis communi horum studiorum comprobationi incertus ob inconstantiam quandam ineunti aetati etiam in literis adhaerentem eventus obstet. Neque enim solum propter verborum originationem, quae in explicandis mythis insignem sibi vindicat locum, mythologia arti grammaticae proxima est, sed quia mythorum religionumque primordia qui indagant ad eosdem fere fontes similesque propagationis rationes ducuntur atque ei qui de singularum linguarum ipsiusque linguae primariae origine quaerunt. Nam diversis causis effectum est, ut cum fabulae multorum populorum nostris maxime diebus maiorem quam antehac animorum attentionem in se contraxissent, homines docti

ad comparationem instituendam commoverentur, non tam ob delectationem inde hauriendam, quam quoniam vera earum natura non nisi singulis eiusdem argumenti formis inter se connexis atque ita ad primariam formam relatis recte videbatur perspici posse, et quod vicissim ex ipsa cognatione hinc apparente splendidissima lumina ad collustrandam veterem gentium memoriam exoriebantur. Sed, ut fieri solet in rebus novis persequendis, varias vias inierunt qui huic disciplinae operam dant, neque defuerunt, qui propter nimium ardorem, quo nonnulli inventionis novitate allecti ad unum tantum finem assequendum praecipites processerunt neglectis quae in ipso itinere faciendo respicienda erant, infantem, ut proverbio utamur, cum balneo effundentes nihil omnino verae utilitatis ad rerum cognitionem promovendam e tali studio percipi posse ipsi nimis cupidi contenderent. Quamobrem non alienum videtur ab hoc loco paucis quibusdam lineis nonnulla ad hanc rem pertinentia adumbrare, non tam certarum normarum constituendarum causa, quam ut vitia quaedam agnoscantur haud raro commissa, vitanda tamen eis qui comparandis aliorum populorum fabulis in Graecorum maxime mythologia recte explananda proficere velint. Qua in re id statim a principio est pronuntiandum, omnino non agi in hac disciplina de certa aliqua ratione ac via, quam qui pro regula assumpserit, a vero aberrare nequeat, sed — quod mirabile quidem hominibus logicae mathematicaeque cuidam cogitandi methodo unice adstrictis videri eorumque animos a tali studio facile deterrere possit — in mythis tractandis explicandisque rationes vel maxime inter se contrarias veri aliquid continere, maximaque vitia eos committere solere, qui unam eandemque clavem, qua portam aliquam clausam reserare ipsis contigit, tanquam generalem ubique adhibendam esse censeant. Qua observatione quamvis non commendari temeritatem a quavis disciplina alienam consentaneum sit, summa tamen cautio atque circumspectio ut admittatur in his disquisitionibus instituendis monere voluimus, qua utendum esse vel maxime agnoscent, qui quid simili in genere antehac peccatum sit cognitum habeant.

Nam omnino nova non est ea mythorum et religionum explanandarum ratio, qua diversorum populorum opiniones inter se compositae ad eandem radicem referuntur; nihilominus maximopere differt ea, quam vere historicam dixeris, ab eorum studiis, qui vel quae extrinsecus similia esse videantur, pro eisdem habeant, externa singularum formarum specie ad neglegendam aliarum rerum diversitatem adducti, vel opinione quadam praeiudicata moti id solum invenire et videre soleant, quod quaesiverunt. Qua in re a mythorum scrutatoribus non aliter peccatum esse constat, quam a grammaticis olim ad linguam hebraeam, pro antiquissima scilicet et vere divina habitam, graecam latinamque eo maiore cum fiducia referentibus, quo incertior harum ipsarum linguarum scientia et obscurior aliarum ad idem genus pertinentium notitia esset. Quod cum in linguis tractandis iam nemo sit quin inter pueriles errores esse habendum intellegat, in mythorum explicatione non desunt, qui omnem quam apud gentes per totam terram

dissipatas reperire sibi videntur de rebus divinis mythicisque cum libris sacris consensionem ad unam eandemque revelationem primariam, in istis quidem fontibus genuino fulgore splendentem, alibi obscuratam referre non dubitent, magis etiam illi a vera scientiae via seducti, quam ei, qui non propter pietatem quandam pro Christianorum officio ab istis habitam, sed propter veteris famae, quae apud alios populos fuit, ignorantiam in Hebraeorum antiquis rebus comparandis acquieverunt. Sed ex oriente lucem affulgere, etiam alii summa cum alacritate atque animi ardore declaraverunt, postquam Aegyptiorum antiquitates maius in se contraxerunt studium, et quae apud Indos conservata essent vetustissimi cultus humani vestigia, suspicari potius quam detegere homines docti coeperunt. Finxerunt igitur viri ingeniosissimi, sed mysticae cuidam doctrinae nimis dediti, inter quos prae ceteris Frid. Creuzerus eminet, fuisse quondam sacerdotum divini spiritus et reconditioris eruditionis plenorum genus, e quorum disciplina obscurata quidem et minus recte percepta variae gentium religiones originem duxissent; itaque ad istum fontem omnes hominum de rebus divinis opiniones esse referendas indeque errores corrigendos et veram, quae illis subsit, sententiam eliciendam, id quod eo maiore cum fiducia illi viri docti efficere posse sibi videbantur, quo maiore symbolorum ambiguorum obscuritate ipsam illam doctrinam involutam esse sentiebant. Sed hac ratione veram antiquitatis scientiam non promoveri et ei intellegebant, qui omnino res in claro lumine positas conspicere quam tenebricosam speciem admirari malunt, et ei, qui verae historiae rationes secuti certis vestigiis insistere satishabent, et quae ultra eorum fines posita sunt, posteriori potius indagini relinquenda, quam mera divinatione aperienda esse censent. Itaque contrarias potius vias ineuntes virorum doctorum pars totam antiquitatis sapientiam e scriptorum testimoniorum, quae ad nos pervenerunt, auctoritate sola esse diiudicandam, pars in ipsis Graecorum narrationibus et in terrae graecae natura populique graeci rationibus solis fontes fundamentaque mythorum quaerenda esse statuerunt. Hinc clarissimorum recentioris aetatis mythologorum rationes in indaganda vera popularium narrationum opinionumque sententia adhibitae originem duxerunt, quas qui sequuntur licet plus minusve ad rectam rerum cognitionem accedant, tamen quia in ipso itinere subsistentes finem assecuti esse sibi videntur, ad plenam veritatem non pervenerunt, et ex parte quidem in errores haud mediocres delapsi sunt. Huc Forchhammeri, viri et doctissimi et ingeniosissimi, pervicacia est referenda, qua in mythis explicandis cum recte intellexerit locorum, in quibus nascuntur, naturam summi esse momenti, solas physicas eius regionis, cui mythi origo tribuenda sit, rationes respiciendas esse censet, atque in eis ipsis non ad totam naturalium rerum speciem, sed ad unum humidum elementum eiusque mutationes tanquam genuinum fabularum et de diis et de heroibus traditarum fundamentum animum attendit. Sed ne Odofredus Muellerus quidem, qui viam, qua in Graecorum historia indaganda procedendum sit, prae ceteris sagacissime et certissime monstravit, in mytho-

logia tractanda omnino ab eo vitio se continuit, ut nimis angustis cancellis horum studiorum materiam circumscriberet, singulorum mythorum apud Graecos incrementa atque mutationes solas esse quaerendas atque hinc plerumque ipsam primariam sententiam sponte elucescere iudicans. Quanquam quod in eius rationibus minus perfectum est, non tam falsis opinionibus, quam modestiae cuidam est tribuendum, qua ea quidem aetate non ultra certum terminum esse procedendum censebat, ut fundamenta solidioris doctrinae eo usque nimis neglecta ponerentur; ad summum vero rectae scientiae fastigium consequendum comparationem alienorum mythorum esse instituendam minime negabat, simul quid verae lucis ex oriente magis detegendo sit exspectandum, auguratus et in linguarum scientia tractanda prae multis istius aetatis philologis acutissima mente complexus. Neque enim omnino fugere poterat talem virum, similitudinem quandam intercedere inter linguarum et mythorum rationes, ut qui in una tantum parte acquiescere velit, externa quaedam et e posteriore singulorum populorum progressu oriunda recte cognoscere, sed in ipsa penetralia rerum ex incunabulis stirpis, ad quam singulae gentes pertinent, relictarum intrare non possit.

Atque cum in dies crescat inter grammaticos istius populorum linguarumque cognationis comprobatio, tantum abest ut mythorum et opinionum de rebus divinis comparatio neglegatur, ut cavendum sit, ne nimia cupidine quae similia esse videantur pro paribus et externo quodam vinculo copulatis statim sumantur. Nam licet id facile concedatur, comparationem non ultra eiusdem stirpis gentes vagari debere, siquidem ea quae ad communem nationum originem, non ad universam generis humani naturam pertineant, respicere velimus, in ipsis mythis explicandis a comparativae quam vocant mythologiae auctoribus illud minus respicitur, orbem earum rerum, quae re vera inter se cohaereant, arctius esse contrahendum, si utilitatem e comparatione ducendam e vagis cogitationis lusibus removere et ad ipsam historiam referre studeamus. Haud aliter igitur atque in linguarum comparatione distinguenda erunt quae ad varios gentium inter se nexarum gradus pertinent. Nam ut in verbis linguarumque formis sic in mythis sunt alia quae ex ipsa primaria stirpe originem ducant, alia quae ad unius rami communionem recte referantur, alia quae singularum frondium surculorumque sint propria, cuncta quidem illa ex eadem radice oriunda eiusdemque naturae speciem prae se ferentia, sed nihilominus proprietatibus singularibus inter se discreta. Minime igitur eorum rationes placent, qui ita ad veram mythorum sententiam pervenire sibi videntur, ut ea quae in diversis narrationibus similia reperiuntur, pro solis genuinis germinibus habeant, unde posterioris quoque aetatis singularumque gentium mythi certam explicationem accipiant, ceteris quae dissimilia esse videantur tanquam vanis hominum, qui a vero aberraverint, lusibus spretis. Nam ut re vera tali modo ad simplicissimam atque primariam mythi naturam ascendere contingat — quanquam lubricum est iter et erroris ansae permultae —, haud minoris momenti ea ipsa sunt, quorum radices progredientibus

populis aliunde accedunt atque e fontibus postea demum obortis emanarunt. Quapropter ne illud quidem, quod ad ipsam stirpem si referatur, verum est, in omnibus mythi progressi gradibus potest retineri, cum sententiae quae mythis supponantur cum ipsis hominum desideriis atque cogitationibus immutentur, atque ea maxime in re vera mythi natura insit, quod ambitus eius multo latius patet quam propria verborum quibus continetur significatio, et quod pari forma variae involvuntur sententiae.

Nec solum hanc ob causam narrationum similitudo certam de cogitatorum sensorumque, quae eis exprimantur, convenientia non admittit conclusionem, sed illud etiam agnosci debet, formas fere inter se concinentes non semper externa quadam continuatione, sed inde esse explicandas, quod animi humani natura ad easdem cogitationes sensusque exprimendos eisdem utatur imaginibus. Itaque, ut exemplo utamur, si quis varias nubium formas oculis persecutus hominum vel animalium figuras conspicere sibi videatur, indeque narrationes de illorum inter se certaminibus fingat, sive maris miracula intuentibus oboriantur fabulae de hominibus ista pericula subeuntibus et permulta rerum discrimina inter monstra et mirabilia ex aquis oriunda et numina marina expertis, mirum non est, fere easdem fabulas ab aliis hominibus compositas esse, quae si inter se conferantur, altera ab altera desumtae esse videri possint multisque videantur. Ea enim consensus explicatio placet haud paucis harum rerum investigatoribus, qui singula similia potius inter se comparare, quam ex tota singularum nationum aetatumque habitu eas res, quae cuiusque propriae sint, constituere, atque hinc universam progressionem, unde de singulorum mythorum origine iudicari possit, definire consueverunt. Hanc ipsam demum viam ac rationem si sequantur mythologi, eis continget, ut maiore cum fide quibusnam periodis tribuendae sint naturales, ethicae, humanae mythorum formae dispiciant, neu referant omnia vel ad antiquissimam populorum indo-germanicorum qui vocantur patriam, quorum naturam ipsam haud raro e fontibus minime genuinis percipere iniuria sibi videntur, vel ad proprias posteriorum gentium sedes, ut e peculiari earum scilicet natura explicentur. Et ne illud quidem in hac re est praetermittendum, haud raro ipsis aliorum populorum narrationibus innotescentibus effici, ut quae antea delituerint, reviviscant atque cum alienis ita coalescant, ut quid primarium, quid secundarium sit, difficile sit distinctu.

Sed haec et alia cum his cohaerentia accuratius persequi, alienum est ab hac occasione. Unum tamen non licet omitti, quo recentiore maxime aetate utuntur qui novae mythologiae rationi operam dant, et singulari quidem cum fructu non minus quam periculo, verborum significationem dicimus; quae cum certissime sic erui videatur, ut ad primariam originem, quoad eam persequi licet, redeamus, eadem ratione adhibita et notiones, quae verbis subsint, et mythorum sententiae, quae istis verbis exprimantur, certissime enucleari atque simul mythorum copulae demonstrari posse nonnullis videntur. At hac quoque in re cavendum est, ne in proclives errores proripiamur. Nam primum

quidem fieri potest, ut verba ad antiquissimam originem recte referantur, minime autem certum sit, ea verba iam ipsa illa aetate, qua orta sunt, inter deorum ceterarumque rerum mythicarum nomina fuisse, ita ut primariam verborum notionem cum mythica illa notione concinere necesse sit. Deinde nomina mythica e radicibus remotis deducta non semper eam quam propriam habuerunt vim retinuerunt, sed aliam acceperunt ex istius linguae, in qua per varia rerum discrimina remanserunt, similibus verbis desumtam, quo fit, ut merito quidem asserere nobis liceat, nomen dei aut herois graeci ad mythum aliquem vetustissimum, cuius primaria vestigia apud Indos reperiantur, esse referendum, neque tamen inde colligi possit, Graecos ipsos unquam eam quae proprie subest notionem isto nomine significare voluisse. Cuius rei exemplum praeter alia multa in Promethei mytho praesto esse nobis quidem videtur; nam ut verum sit, hoc nomen recte componi cum sanscritico verbo pramantha, quod ad illam rationem, qua sacer ignis apud Indos torquendo atque terendo paratur, pertinere dicitur, Graecos tamen eam vim non percepisse, sed Promethei nomen ad eam notionem, quae secundum graecorum verborum significationem inesse videbatur, statim transtulisse consentaneum est, ut propria mythi de igni hominibus tradito vi atque significatione non neglecta Prometheum eum dicerent, qui bona hominibus procuraret atque simul provida mente insignis esset.

Tales quaestiones nemini, qui narrationes de diis et heroibus atque ea ipsa, quae fabellis popularibus circumferuntur, recte percipere velit, neglegendae sunt. Quarum inter auctores, cum plures sint qui recentem disciplinam haud mediocriter promoverint, eis quibus talia cordi sunt tanquam praestantissimum ac suavissimum ducem, quamvis et ipsum non in omnibus probatum, Maximilianum Muellerum, inter Anglos non minus quam inter Germanos solida atque eleganti eruditione clarum, commendare non dubitamus.

I. LECTIONES THEOLOGORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

GUILIELMUS SCHEFFER, phil. et theol. Dr. huiusque P. P. O., Augustissimo Principi in senatu ecclesiastico a consiliis supremis, dioeceseos Marburgensis reformatae superintendens, ordinis aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice examinatorium* de *theologica ethica* hora commoda instituet; 2) *privatim a*) *ethicam theologicam* senis per hebd. diebus h. IX, *b*) *priorem systematis theologiae practicae partem* (*introductionem*, *theoriam de missione*, *catecheticam* et *theologiam pastoralem*) quinis diebus h. XI docebit. — *Exercitationes* seminarii *homileticas* et *catecheticas* die Mart. h. VI—VIII more sueto moderabitur.

ERNESTUS RANKE, phil. et theol. Dr., theol. P. P. O., Augustissimo Regi a consiliis ecclesiasticis, 1) *publice Christi orationem montanam* explicabit die Merc. h. X; 2) *privatim evangelia synoptica* interpretabitur quaternis scholis h. X; 3) *privatissime* et *gratis Clementis Romani epistolas commilitonibus explicandas* proponet die Veneris h. VI vesp.

FRANCISCUS EDUARDUS CHRISTOPHORUS DIETRICH, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., seminarii theologici Philippini Ephorus, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, *privatim a*) *antiquitates hebraeas* quinis diebus h. VII matutina exponet, *b*) *vaticinia Iesaiae* quinis diebus h. VIII interpretabitur. Idem seminarii theol. *exercitationes ad V. T. spectantes* die Iovis h. VI—VIII moderabitur.

HENRICUS LUDOV. IULIUS HEPPE, phil. et theol. Dr., theol. P. P. O., ordinum aquilae rubrae Boruss. IV. cl. et Philippi magnan. Hassiaci I. cl. eques, 1) *publice selecta capita archaeologiae ecclesiasticae* die Saturni h. XII; 2) *privatim a*) *historiam et systema ethices christianae* quinquies per hebd. h. IX, *b*) *historiae ecclesiasticae partem primam* quinquies per hebd. h. XII, et *c*) *historiam et systema paedagogices* quinquies h. V docebit. — *Exercitationes* seminarii systematico-theologicas die Lunae h. VI moderabitur.

GEORGIUS HEINRICI, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., ordinis theologorum h. a. decanus, 1) *publice exercitationes* seminarii theologici *ad novi testamenti* interpretationem pertinentes moderabitur die Iovis h. VI; 2) *privatim a*) *introductionem in novum testamentum historico-criticam* dabit quinquies per hebd. h. X; *b*) *primam ad Corinthios epistolam* interpretabitur trinis scholis h. XI.

THEODORUS BRIEGER, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., 1) *publice a*) *exercitationes* seminarii theologici *historico-ecclesiasticas* moderari perget die Ven. h. VI—VIII, b) *de medii aevi theologia scholastica* disseret d. Sat. h. VIII; 2) *privatim a*) *historiae ecclesiasticae partem secundam* (768—1517) enarrabit quinquies per hebd h. VIII, *b*) *theologiam symbolicam* tradet ter per hebd. d. Lunae, Merc. et Ven. h. VII.

2. PRIVATIM DOCENTIUM.

THEODORUS HERM. FRID. KOLDE, phil. Dr. theol. Lic., 1) *privatim historiam ecclesiasticam recentioris temporis* quinis scholis h. VIII enarrabit; 2) *privatissime* et *gratis Lutheri et Zwinglii graviora ad reformationem pertinentia scripta pertractabit* semel per hebd. schola postea definienda.

CONRADUS KESSLER, theol. Licent. philos. Dr., 1) *gratis librum Danielis prophetae hebraico-chaldaicum* interpretabitur *praemissis compluribus de theologia Iudaeorum apocalyptica lectionibus* bis per hebd. h. x; 2) *privatim introductionem in libros Veteris Testamenti et canonicos et apocryphos historico-criticam praebebit* quinquies per hebd. hora IX; 3) *privatissime Mutanabbîi poetae Arabum lyrici carmina selecta* tractabit Dietericii secutus editionem Berolinensem binis scholis h. x.

II. LECTIONES IURECONSULTORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

FRIDERICUS GUILIELMUS ROESTELL, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, ordinis aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice ius feudale* die Sat. h. XII tradet; 2) *privatim* docebit *a*) *ius germanicum privatum* sexies h. XI, *b*) *ius ecclesiasticum* quinquies h. x.

GUILIELMUS ARNOLD, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordin., ordinis Philippi magnan. Hassiaci I. cl. eques, 1) *publice examinatorium iuris mercatorii speciali codicis iuris mercatorii ratione habita* instituet die Mercurii h. XI; 2) *privatim a*) *ius publicum germanicum* quater per hebd. h. XII, *b*) *historiam imperii et iuris germanici* quater h. XI docebit, *c*) *exercitationes ad ius cambiale* instituet diebus Mercurii et Saturni h. XII.

CAROLUS FUCHS, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, ordinis iurecons. h. a. decanus, 1) *publice practicum criminale* semel h. VIII instituet; 2) *privatim a*) *ius criminale* quinis per hebd. scholis h. VIII, *b*) *processum civilem* sexies h. IX profitebitur.

AUGUSTUS UBBELOHDE, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, 1) *publice* in seminario iuridico *Iustiniani Institutiones* interpretandas proponet die Saturni h. XI; 2) *privatim a*) *historiam iuris privati Romanorum* sexies per hebd. h. XII, *b*) *institutiones iuris romani* quinquies p. hebd. h. XI docebit; 3) *privatissime* in seminario iuridico *examinatorium de iure pandectarum cum exercitationibus exegeticis* quater per hebd. horis audituris commodis instituet.

LUDOVICUS ENNECCERUS, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, 1) *publice de fontibus iuris inprimis iuris pandectarum* die Mercurii h. XI disseret; 2) *privatim doctrinam pandectarum* sexies h. IX et X tradet.

IUSTUS BERNHARDUS WESTERKAMP, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordin., 1) *publice* a) *historiam conatuum consequendae unitatis imperii germanici inde ab a. 1815* d. Martis h. v. narrabit, b) *practicum iuris mercatorii et cambialis* hora audituris commoda instituet; 2) *privatim* docebit a) *ius germanicum privatum cum iure feudali* sexies b. x, b) *ius mercatorium, cambiale* et *maritimum* sexies h. xi.

2. PROFESSORIS EXTRAORDINARII.

VICTOR PLATNER, I. U. Dr. et P. P. E. docebit, 1) *publice practicum iuris germanici privati* semel h. xii die Mercurii instituet; 2) *privatim* a) *ius germanicum privatum et feudale* senis dieb. h. x, b) *ius commerciale, cambiale maritimumque* h. xi sen. dieb., c) *ius ecclesiasticum* quaternis diebus h. xii profitebitur.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

FRIDERICUS VICTOR SCHMIDT, I. U. Dr., in tribunalibus quae Marburgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, *privatim practicum quod dicitur pandectarum* die Sat. h. iv—vi instituet.

BERNHARDUS FRIDERICUS IULIUS WOLFF, I. U. Dr., in tribunalibus quae Marburgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, *privatim practicum quod dicitur pandectarum* die Sat. h. iii—v instituet.

GUSTAVUS PESCATORE, I. U. Dr., 1) *privatim* a) *ius hereditarium Romanorum* quater h. xi docebit, b) *repetitorium* et *examinatorium quod dicitur pandectarum* sexies hora audituris commoda; 2) *privatissime repetitoria* et *examinatoria iuris romani* instituet.

III. LECTIONES MEDICORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

CAROLUS FRIDERICUS DE HEUSINGER, med. Dr. et P. P. O., Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordin. coron. Boruss. II. cl., elect. Guil. aliorumque eques, docebit 1) *publice evolutionem scientiae medicae in Germania* die Sat. h. ii; 2) *privatim historiam medicinae litterariam* h. i.

HERMANNUS NASSE, med. Dr. et physiologiae P. P. O., instituti physiologici director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice* disseret *de nervorum physiologia generali* bis h. vii matut.; 2) *privatim* a) *historiam generationis atque evolutionis hominis* binis scholis h. v explicabit, b) *physiologiam hominis specialem, excepta de nutritione et sensibus doctrina,* tradet quater h. vii mat. et bis h. xi; 3) *privatissime* diriget quotidie horis pomerid. *exercitationes physiologicas.*

GUILIELMUS ROSER, med. Dr. et chirurgiae P. P. O., instituti clin. chir. director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, cruce ferrea decoratus, ordinis

aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice examinatorium de chirurgia* offert; 2) *privatim chirurgiam generalem* docebit quat. h. VII; 3) *privatissime a) clinicen chirurgicam* diriget h. VIII, *b) cursum operationum* instituet h. V

CAROLUS PHILIPPUS FALCK, med. Dr., medicinae maximeque pharmacologiae P. P. O., instituti pharmacol. director, 1) *publice a) examinatorium et conversatorium de rebus ad iamatologiam, toxicologiam et hygieinen pertinentibus* semel per hebd. hora posthac definienda instituet, *b) encyclopaediam et hodegeticen doctrinarum medicinalium* bis per hebd. h. XII docebit; 2) *privatim a) pharmacologiam et toxicologiam* sexies per hebd. h. V, *b) pharmacotacticen (artem formulas scribendi* etc.) ter per hebd. h. VI tradet; 3) *privatissime* sed *gratis exercitia in laboratorio pharmacologico* tempore posthac definiendo moderabitur.

RUDOLPHUS DOHRN, med. Dr., artis obstetriciae P. P. O. et xenodochii obstetricii director, ord. coronae Boruss. III. cl. eques, 1) *publice examinatorium de arte obstetricia* offert semel habendum; 2) *privatissime a) clinicen obstetriciam* moderabitur quater per hebd. h. XII, *b) operationes obstetricias* demonstrabit horis posthac definiendis.

NATHANAEL LIEBERKUEHN, med. Dr. et P. P. O., instituti anatomici director, 1) *publice anatomiam generalem* die Mercurii et Saturni h. XII tradet; 2) *privatim anatomiam topographicam* die Lunae, Martis, Iovis et Veneris h. XII docebit; 3) *privatissime exercitationes anatomicas* una cum G. R. Wagnero, prof. extraord., horis definiendis moderabitur.

FRIDERICUS GUILIELMUS BENEKE, med. Dr. et P. P. O., instituti pathologico-anatomici director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, cruce ferrea decoratus, ordinis aquil. rubr. reg. Boruss. eques, aliisque ordinibus adscriptus, 1) *publice* tradet *aberrationes nutritionis, imprimis respiciens urologiam pathologicam* bis per hebd.; 2) *privatim* docebit *anatomiam pathologicam, nec non pathogenesin* scholis quinis h. IX et dimid.; 3) *privatissime* diriget *exercitationes microscopicas pathologiam illustrantes.*

AEMILIUS MANNKOPFF, med. Dr., pathologiae et therapiae spec. P. P. O., instituti clin. med. director, cruce ferrea decoratus, ordinis coronae Boruss. IV. cl. eques, ordinis medicorum h. a. decanus, 1) *publice examinatorium de rebus clinicis* offert semel p. hebd. habendum; 2) *privatim pathologiam et therapiam specialem* quater p. hebd. h. VI—VII et dimid. docebit; 3) *privatissime clinicen et policlinicen medicam* h. X et dimid. — XII moderabitur.

HERMANNUS SCHMIDT-RIMPLER, med. Dr., ophthalmologiae P. P. O., instituti clin. ophthalmol. director, ordinis coronae Boruss. IV. cl. cum gladiis eques, 1) *publice de arte ophthalmoscopii* disseret die Veneris h. IV; 2) *privatim cursum operationum ophthalm.* instituet bis h. IV; 3) *privatissime a) clinicen ophthalmiatricam* moderabitur die Martis, Iovis h. XII, die Saturni h. X et dimid. — XII, *operationes* horis posthac definiendis, *b) cursum ophthalmoscopiae* instituet bis h. IV.

HENRICUS CRAMER, med. Dr., psychiatriae P. P. O., nosocomii insanorum Hassiaci director, 1) *publice psychologiam forensem* tradet semel p. h.; 2) *privatissime clinicen psychiatricam* moderabitur bis p. h. binis horis.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

GUIDO WAGENER, med. Dr. et P. P. E., ordinis coronae Boruss. III. cl. eques, 1) *publice syndesmologiam* die Veneris h. XI tradet; 2) *privatim osteologiam* diebus Lunae, Martis, Iovis docebit h. XI.

HENRICUS HORSTMANN, med. Dr. et P. P. E., Augustissimo Principi a sanitatis publicae tuendae consiliis, ordinis coron. Boruss. IV. cl. eques, physicus Marburgensis, 1) *publice de epizootiis* singulis scholis per hebd. disseret; 2) *privatim a) medicinam publicam iis, qui medicinae operam dant,* quaternis schol. p. hebd. h. II, *b) medicinam forensem iis, qui iurisprudentiae operam dant,* ternis scholis per hebd. tradet.

HENRICUS LAHS, med. Dr. et P. P. E., cruce ferrea decoratus, 1) *publice repetitorium rerum obstetriciarum* semel per hebd. instituet; 2) *privatim a) theoriam artis obstetriciae* quinis scholis docebit, *b) de morbis genitalium femininorum* ternis scholis leget; 3) *privatissime operationes obstetricias* horis definiendis demonstrabit.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

LEOPOLDUS EICHELBERG, med. Dr., *gratis semioticen faciei* semel per septimanam tractabit.

VICTOR HUETER, med. Dr., ordinis coronae Boruss. IV. cl. eques, 1) *privatim a) exercitationes practicas in arte obstetricia* bis demonstrabit, *b) de morbis genitalium femininorum* ter leget; 2) *gratis examinatorium et repetitorium de rebus obstetriciis* semel instituet.

THEODORUS OTTO DE HEUSINGER, med. Dr., *privatim* disseret *de morbis cutis* ternis scholis h. VII matut.

EDUARDUS KUELZ, med. et phil. Dr., *privatim a) physiologiae experimentalis alteram partem* quinquies docebit, *b) chemiam physiologicam* quater tractabit; *c) exercitationes practicas in analysi urinae* bis diriget.

AEMILIUS GASSER, med. Dr., 1) *privatim a) anatomiam et histologiam organorum sensuum* bis per hebd. docebit, *b) anatomiae capita selecta iis qui clinicen frequentant* binis scholis tradet; 2) *privatissime repetitorium de rebus anatomicis* offert.

ADOLPHUS FERBER, med. Dr., 1) *privatim de morbis veneriis* disseret bis per hebd.; 2) *privatissime artem auscultandi aegrotos* docebit, et *exercitationes in arte morbos cognoscendi* moderabitur quinquies per hebd. hora II.

IV. LECTIONES PHILOSOPHORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

FRIDERICUS LUDOVICUS STEGMANN, phil. et med. Dr., math. P. P. O., 1) *publice de seriebus et integralibus Fourerianis* disseret dieb. Merc. h. XI—I; 2) *privatim a) mechanicen theoreticam* quinquies h. IX docebit, *b) auditorum exercitationes circa problemata ab ipsis solvenda* moderabitur dieb. Sat. h. IX—XI.

CONSTANTINUS ZWENGER, med. et phil. Dr. et chemiae pharm. P. P. O., instituti pharmaceutico-chemici director, 1) *publice examinatorium de chemia et pharmacia* instituet; 2) *privatim chemiae experimentalis partem secundam* sexies h. IX docebit; 3) *privatissime exercitationes chemicas* more solito diriget.

GUILIELMUS DUNKER, philos. Dr., mineralogiae et geologiae P. P. O., instituti mineral. academ. director, Augustissimo Principi ab intimis rerum metallicarum consiliis, ordinum Philippi magnanimi Hassiaci et Petri Friderici Ludovici Oldenburgensis I. cl. eques, 1) *publice a) exercitationes practicas* instituet *ad mineralia lapidesque rite determinanda* h. X die Sat., *b) excursiones geologicas* instituet die Sat. horis pomeridianis; 2) *privatim a) geologiam* docebit quinquies per hebd. h. X, *b) mineralogiam universalem* scholis quaternis tradet horis postea statuendis.

IOANNES CAROLUS GLASER, phil. Dr., scient. polit. et cam. P. P. O., 1) *publice regni germanici institutiones oeconomicas et camerales* explicabit semel p. h. die Merc. h. VIII; 2) *privatim a) oeconomiam politicam* docebit quater p. hebd. die Lun., Mart., Iov. et Ven. h. VIII, *b) redituum publicarum leges et administrationem* docebit quater p. h. die Lun., Mart., Iov., Ven. h. IX.

ERNESTUS ADOLPHUS HERRMANN, philos. Dr. et hist. P. P. O., seminarii historici director, 1) *publice exercitationes seminarii historici* moderabitur semel p. h. die Sat. h. VII—IX; 2) *privatim historiam universalem inde ab anno 1648 usque ad a. 1740* enarrabit quater h. X.

ALBERTUS WIGAND, philos. Dr. et botanices P. P. O., horti botanici et instituti pharmacognostici director, 1) *publice excursiones botanicas in agro Marburgensi et demonstrationes* in horto instituet die Sat.; 2) *privatim a) botanicen generalem* docebit sexies h. II, *b) botanicen systematicam* tradet et *plantas medicinales* explicabit sexies h. VII; 3) *privatissime a) exercitationes analytico-botanicas* moderabitur bis per hebd. h. III—V, *b) exercitationes microscopicas* instituet bis per hebd. h. XI—I.

CAROLUS IULIUS CAESAR, philos. Dr., philologiae et eloquentiae P. P. O., seminarii philologici director, bibliothecae academicae praefectus, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice* seminarii philologici sodalibus *Taciti de vita Agricolae librum* interpretandum proponet solitasque exercitationes moderabitur ternis scholis h. XII; 2) *privatim historiae literarum graecarum partem priorem* tradet senis scholis h. IX.

LEOPOLDUS SCHMIDT, philos. Dr., philologiae P. P. O., seminarii philologici director, 1) *publice a)* seminarii philologici sodalibus *Babrii fabulas* interpretandas proponet solitasque exercitationes moderabitur ternis scholis h. XII, *b) de veterum Graecorum notionibus quae ad mores spectant* disseret bis h. XI; 2) *privatim Platonis Convivium* interpretabitur ternis scholis h. XI.

FRANCISCUS AEMIL. MELDE, phil. Dr., physices et astronomiae P. P. O., instituti mathematico-physici director, 1) *publice* docebit *theoriam sextantis cum exercitationibus practicis* die Mart. et Ven. h. XI; 2) *privatim* docebit *physices experimentalis partem primam ad phaenomena mechanicae, fluctuationis atque lucis spectantem* h. VIII sexies; 3) *privatissime* reget *exercitationes physicas practicas* die Lun. et Iov. h. II—VI.

CAROLUS DIETZEL, philos. Dr. et polit. scient. P. P. O., 1) *publice de socialismo et de quaestione operaria* disseret semel per hebd.; 2) *privatim oeconomiam publicam* docebit quater per hebd.

CAROLUS LUCAE, philos. Dr., theodiscarum et linguarum et literarum P. P. O., academiae h. a. rector, 1) *publice a) seminarii germanici exercitationes* moderabitur bis per hebd. h. defin., *b) grammaticae theodiscae selecta capita* tractabit semel per hebd. h. x; 2) *privatim Wolframi Eschenbacensis carmen cui Parcival inscriptum est* interpretabitur quater per hebd. h. x.

FERDINANDUS IUSTI, phil. Dr., grammatices comparativae P. P. O., 1) *publice scriptores indicos* interpretandos proponet bis h. VII; 2) *privatim historiam Persarum* enarrabit quater h. VIII; 3) *privatissime* et *gratis linguam sanscritam* docebit ter h. VII.

HENRICUS NISSEN, philos. Dr., hist. antiquae et philol. P. P. O., seminarii historici director, 1) *publice a) doctrinae temporum elementa* tradet semel p. h. h. VIII, *b) seminarii historici exercitationes* moderabitur semel p. h. h. V—VII; 2) *privatim Graecorum qui Italiam Siciliam Galliam incolebant historiam* ternis p. h. scholis enarrabit h. VIII.

FRID. ED. GUIL. IULIUS BERGMANN, philos. Dr. et P. P. O., ordinis philos. h. a. decanus, 1) *publice exercitationes philosophicas* moderabitur bis per hebd.; 2) *privatim logicen* docebit quater per hebd. h. IV.

RICARDUS GREEFF, med. et philos. Dr., zoologiae et anatomiae comparatae P. P. O., instituti zoologico-zootomici director, 1) *publice echinodermatum anatomiam et historiam naturalem* d. Vener. hor. IV tradet; 2) *privatim zoologiam* docebit quinquies dd. Lun. Mart. Merc. Iov. Vener. h. III; 3) *privatissime exercitationes zoologicas et zootomicas* ternis scholis dd. Lun. Mart. Iov. h. IV diriget.

EDMUNDUS STENGEL, phil. Dr., linguarum et literarum recent. P. P. O., seminarii romanico-anglici director, 1) *publice exercitationes seminarii romanico-anglici* moderabitur quater per hebd. h. III; 2) *privatim a) Shakesperi Hamletum* interpretabitur ter per hebd. h. II, *b) historiam literarum apud Provinciales* tradet ter per h. II.

CONRADUS VARRENTRAPP, phil. Dr. et historiae P. P. O., cruce ferrea decoratus, 1) *publice exercitationes historicas* moderabitur semel h. p. i.; 2) *privatim de historiae medii aevi fontibus* disseret quater h. IV.

THEODORUS ZINCKE, phil. Dr., chemiae P. P. O., instituti chemici director, 1) *publice selecta chemiae organicae capita* tractabit semel d. Sat. h. IX; 2) *privatim chemiae experimentalis partem secundam i. e. chemiam organicam* tradet quinquies h. IX; 3) *privatissime exercitationes practicas in laboratorio chemico* moderabitur quotidie ab h. IX ad h. V.

HERMANNUS COHEN, philos. Dr. et P. P. O., 1) *publice exercitationes philosophicas* moderabitur binis horis, quibus *Kantianam criticen iudicii* interpretandam proponet; 2) *privatim historiam philosophiae recentioris* docebit quater per hebd. h. V.

IOANNES IUSTUS REIN, philos. Dr., geographiae P. P. O., aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice exercitationes geographicas* semel per hebd. h. II—IV moderabitur; 2) *privatim Americae, Australiae et Polynesiae geographiam* docebit quinquies per hebd h. VIII.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

CAROLUS ALHARTUS DE DRACH, phil. Dr., math. P. P. E., 1) *publice* moderari perget *exercitationes analytico-geometricas* binis scholis p. h.; 2) *privatim* leget *a*) *institutiones calculi differentialis* quinis scholis h. x, *b*) *geometriam syntheticam* trinis scholis h. VII.

ADOLPHUS DE KOENEN, philos. Dr., P. P. E., cruce ferrea decor., 1) *publice* *a*) *de constitutione geologica terrae prope Marburgum sitae* semel per hebd. disseret, *b*) *exercitationes in determinandis mineralibus ac fossilibus* bis p. h. diriget; 2) *privatim* *a*) *mineralogiam* senis scholis h. XII, *b*) *palaeontologiam* quinis scholis h. VII docebit.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

ADOLPHUS EDMUNDUS HESS, phil. Dr., 1) *gratis exercitationes analytico-geometricas* instituet die Sat. h. XI; 2) *privatim* *a*) *planimetriam analyticam*, praecipue *sectionum conicarum theoriam* docebit quaternis scholis h. XI, *b*) *selecta altioris analyseos capita* tractabit ter per hebd. h. XII.

GUILIELMUS FEUSSNER, phil. Dr., bibl. acad. custos, 1) *gratis exercitationes physico-mathematicas* instituet die Sat. h. VIII; 2) *privatim* *a*) *aequationum differentialium integrationem* docebit quinis scholis h VIII, *b*) *theoriam phaenomenorum, quae ab interferentia lucis oriuntur*, tractabit ter per hebd.

FRIDERICUS MOESTA, phil. Dr., 1) *gratis elementa geologiae chemicae* die Sat. h. XII; 2) *privatim geologiam universalem* quinquies p. hebd. tradet.

LUDOVICUS DE SYBEL, phil. Dr., 1) *gratis exercitationes archaeologicas* moderari perget die Saturni h. x; 2) *privatim historiam artis antiquae apud Romanos, item Christianos q. f.* tradet quater h. x.

CONRADUS KESSLER, theol. Licent. philos. Dr., scholas habendas inter theologos indixit.

FRIDERICUS BERNHARDUS FITTICA, phil. Dr., 1) *gratis repetitorium de rebus chemicis* semel instituet; 2) *privatim chemiam analyticam* ter docebit.

MAXIMILIANUS LENZ, philos. Dr., *privatim paparum qui medio aevo fuerunt historiam* quater tractabit h. XII.

Doctrinam harmonicam LEONARDUS WOLFF, concentuum musicorum director, semel publice tradet, idem instrumentorum musicorum tractandorum cantandique scholas et exercitationes offert. Delineandi et pingendi artem FR. SCHUERMANN docebit, atque doctrinam proiectionum et geometriam descriptivam semel gratis tradet. Nec minus praesto sunt, qui armorum tractationem et saltationem doceant.